



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,
Bibliothecis, et aliunde**

Sweerts, Pierre François

Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.

Polonica, Cracoviae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

Hoc victor victi condidit ossa loco.

ECCE Leo cecidit, iam pax qv̄asIta VIgebt.

*Corporis reliquias hinc transferrī curavit Maria Caroli V.
August. soror an. 1550. & Brugis, Flandrorum sumptuo-
sissimo campani monumento.*



**POLONICA,
CRACOVIAE.**

**IN CRACOVIAM IVL. CAES.
SCALIGER.**

Martia Sarmaticis tētata CROATIA nim-
Arcigeri pugnax spicula fregit equi. (bis
Hinc belli fortunam armis, finemq; sequuta
Germana Hercinijs expulit arma iugis.
Qua; patet solis fugiens Lituania campis
Victrici imposuit Martia signa manu.
Moscovijsq; docet, Turcisq; augusta trophais,
Vicinis quantum sit bene tuta quies.
Tessera certa manu stat belli, & pacis: vtramvis
Si des, accipiam: vel cape, namq; dabo.

INSCRIPTIONES.

SIG. Augusto, Sig. F. Casim. N. Iagellonio,
Poloniarum regi, & magno Lituaniæ ac reliquæ
Sarmatiæ Duci ac Domino, qui accisis R. R. vecti-
galibus recuperandis, & Lituanijs ac Prussis ad re-
gni corpus aggregandis, vindex dici meruit le-
gum pub. Regi ipsi, & regum filio, nepoti, pronep.
abnep. qui nulla suscepta ex tribus vxoribus sobo-
le, eundem, heu, vitæ suæ, & stirpis ac Imperij Ia-
gello-

gellonidar. qui bis centum prope annos in Polonia, hoc amplius etiam in Lituania, imperitarunt, terminum habuit. Princeps consilio quam facto promptior: utroque etiam supra fortunam mitior: totus industrius, pariens, lentus, benignus. moritur Cniffini Non. Jul. anno orb. red. M. D. LXXII. regni sui XLIII. ætat. suæ LII.

Anna soror infans Poloniar. Frat. & Resp. principi opt. orbæ ac lugentes poss.

IBIDEM:

IOANNI à MIELECZ, Stanislai F. gente Griffo, Palatino Podoliæ, summo regni Poloniæ Marscalco, Samboriensi & Grodecensi Capitaneo, viro clarissimo, qui ab ineunte ætate maximis ijsque continuis bellis, vel hostibus cæsis, vel ipse vulneribus exceptis, & fortissimi militis, & strenui ducis laudè per sæpe meruit. Summis demum nõ raro periculis liberatus, digna ob egregiã fidem & præstantem virtutem suam, collatis maximis honoribus, præmia obtinuit. Postea ad bellum Liuonicũ, summo cum imperio, magno omnium cum cõsensu profecturus feliciter, necdum armis expeditis, pacem à Rege Liuonibus petere coactis; incolumem exercitum suis restituit. cuius constans in D. O. M. pietas, in gubernanda R. P. spectata fides, in magistratu sine acerbitate grãvitas, erga suos par comitati benevolentia, in omnes æquitas, chara inprimis Deo, grata hominibus, immortalẽ nomini ipsius laudem apud omnes pararunt. Mortuus anno 1561. ætatis suæ 60. Anna à Daleiovy, ex vetusta Colorum gente, marito, & Nicolaus filius vnicus patri desideratissimo; ad monumentum eius posuerunt.

T t 2

ALIUD:

ALIVD.

Illustris & magnifici viri, animi celsitate, virtute atque integritate senatoris clarissimi, Martini Zborovvij de Rithviani, è gente stemmatibusque Gastrembeciorum, patre Andrea Zborovvio, & matre Elisabettha Sfidlouecia progeniti, Castellani Cracouiensis, & præfecti Stobnicensis dignissimi.

*Affertor patriæ qui libertatis in omni
Vita, cum magna virtutis & integritatis
Laude fuit, tumulo situs est MARTINVS in isto
Zborovvius. Similes natos in honoribus amplis
Postquam vidisset, generis natasq; pudicas
Eximys de gente sua Lithauaq; locasset
Patritijs; quorum esse aliquos nunc mēbra videmus
Consilij augusti; sic auoritè peracto
Mortali, atq; opibus magnis iustè ille paratis,
Extinctus placidè, calig; receptus in arce est.
Castellanus erat tum Cracouiensis, & Anna
Sanctæ thori consors hoc posteritasq; locarunt
Sarcophago corpus, summa quod luce resurget.*

ALIVD.

ANNAE illustris & magnifici viri Martini à Zborow Castellani Craconiensis consorti carissimæ, Stanislao Conario ex Sophia Lanckorunska progenitæ, matrone, quæ per omne mortalis huius æui tempus sanctè & inculpate viuens, priscis illis Heroidum Christiani nominis matronis æquari poterat, posteaquam octo filijs & totidem foemelis in lucem editis domum Zborouiam præclarauxit sobole, & septuagesimum sextum ætatis annum

num attigit; placidè anno salut. M. D. LXXV. prid.
Calend. Decembris extincta, ad cęleste beatorum
migravit consortium. Filij filiæque superstites ad
perpetuam posteritatis memoriam hoc monu-
mentum moerentes posuerunt.

Fæminei exemplar iacet hic præ grande pudoris

ANNA Stanislai filia Conarij.

Quæ genitricem habuit Sophiam virtute nitentem,

Lanckorunseo sanguine progenitam.

Cum teneri tria lustra forent aui illius, vxor

Martino faustè est tradita Zborouio.

Bis quatuor siquidem pueris totidemq; puellis

Hunc fecit fato prosperiore patrem.

Vidit & auctum opibus magnis, & honoribus amplis:

Nam Castellanus Cracouiensis erat.

Vnà vixerunt ita quinquaginta per annos,

Sed rapit è viuis mors prius atra virum.

Illa quoq; vndecimo post letho extinguitur anno,

Andrea festo sole cadente die.

Mille & quingentis & quinq; vbi iunxeris annis

Septenas decades mortis hic annus erit.

Hæc ita dum vixit, natos in honoribus amplis

Egregios vidit, qualibet arte viros.

Vidit & his similes è prole vtraq; nepotes

Indole. num dici iure beata nequit?

ALIVD.

BERNARDO IOAPOVSKI I. V. Doctori,
Cantori Cracouiensi, cubiculario Apostolico, &
Regio Secretario, viro erudito, carmine & prosa
excellenti, patruus posuit. Scripsit historiam Po-
lonorum, ex qua quantum ingenio valuerit poste-

Tt 3 ris in-

ris iudicandum reliquit. Obijt XXI. Nouemb. an-
no 1535.

IBIDEM.

STANISLAVS BORANOVVSKI ex maiori,
Polonia patrijs bonis cōtentus esse nolens, aulam
& eius promissā fecutus, anno 1565. octaua Iunii
Cracouia moritur, antequā viuere didicisset: eta-
tis suæ anno 48.

CALLIMACHI ITALI.

*Exuias præter pellemq̄, atque ossa Latini
Nil hic Callimachi terra Polona tegit.
Illa Borysthenides rapuere, tenentq̄, Camæna,
Quarum primus amor, gloria prima fuit.
Hoc perfecturus, si copula longa fuisset,
Venissetq̄, suo iusta propago thoro.
Sarmatide e nymp̄ha: ne barbara terra videri
Posset, Romana vel minus apta toga.
Sed mors inuidit, qua nil odiosius, atqui
Quæ ferit, is tacito non caret opprobrio.
Æneus est tumulus, mors ænea, & æneus ille,
Qui legit hæc siccis tristia verba oculis.*

IBIDEM.

STEPHANVS Magnus Rex Polonia,
Magnusque Dux Li-
thuania,
Princeps Transyluania,
Victor, triumphator, pater, patria,
Stephano Palatino, Catharinaque
Telegdia,

Narus

POLONICA.

659

Natus ann. 1533. v. Calend. Octobris.

Excessit 1586. Idib. Decemb.

Regnavit annos decem, menses VII. dies

XII. iudicia constituit;

Liunioniam, Polotiamque provincias
recepit;

Fines Lithuaniae latissimo Velisensium
agro adiecto, protulit:

Perterritis Mechemetepimum, ac deinde
Aschlan, Chereis,
Tattarorum Chamis.

Podoliam pacatiorem cultiorem-
que reddidit;

Amuratem, Turcarum Impe-
ratorem,

Vt Tattaro pacem legatione
missa peteret,

Et Beneria à Kosacis deleta, nil
moueret,

Nouaque castella finibus imponi
pateretur,

Opinione virtutis permouit, con-
tinuitque:

Stipendium maius, Transylvaniae Imperium
ineunti Sigismundo, fratris filio,
impuberi:

Imponere molientem deterruit:
Ianiculam, Valachiae Regulum, ob
iniurias, quas vicinae no-
bilitati

Intulerat, deicere adegit;
Thesurosque, qui cum ipso Valacho
in potestatem suam venerant,
repetentem spreuit.

Ts 4

Omnia

Omnium regum, Principum, ac populorum,
nationumque cum ora in se
conuertisset:

Maiora pro re hac publica & Christiana
animo agitans:

Ac in primis Moschouiam Poloniæ Lithua-
niæque aggregare studens, sexta die
subitò extinctus est.

O mors inuida,

Non extinxisti virtutem Batoream,
Immortalis est.

STEPHANO Poloniæ Regi, Victori, Trium-
phatori, pio, patri patriæ, &c. Ioannes de Zamois-
cio Cancellarius, & summus dux exercituum Re-
gni, &c. Vitâ, quam saluti gloriæque eius omnibus
bellis periculisque deuouerat, Deo, non se ita
volente, superstites, has lachrymas, cum Grifeli-
de Bathorea, vxore sua, regi, patrono, affini que suo,
fundit:

Viveres, Stephane Maxime, viueres,
Nec Polonia, Vngariaque, ac
Nomen Christianum lugeret.
Nec improbi barbari gauderent.
Sed viuit Deus, haud folido exultabût gaudio.

IN SACELLO A SIGISMUNDO I.
POL. REGE EXSTRVCTO.

*Non mirere hospes decus hoc sublime sacelli,
Saxaq; Phidiaco sculpta magisterio.
Hoc statuit Sismundus opus, qui struxit & arcem.
Clarior hic recta sed ratione labor.
Illum ne credas, dum momentanea condit
Atria, perpetuam postposuisse domum.*

IN

IN CVRIA POSNANIENSI.

Demosthenes Græcorum disertissimus leges animam ciuitatis esse inquit. Vt enim corpus anima viuit: sic ciuitas legibus conseruatur. Proinde naturæ & sui ipsius obliuiscitur, qui sacratissimas constitutiones, patriasque leges auerfatur.

ZAMOSCI.

IOANNES ZAMOSCIVS, quod mortalitatis habuit, hic deposuit.

Obijt III. Iunij, anno M. D. V.

TVMVLVS.

*Qua nituit clara fecunda Polonia gemma,
Nunc Mors in gelido luxuriat tumulo.
Dicamne heroum exemplar, vitæde ZAMOSCVM?
Vix abluit manus Lethica terra decus.
Hic sibi, non Patria vixit satis, attamen, eheu!
Quis vetet occiduas non perijisse rosas?
Effundit mæstas natus cum matre querelas:
Iam satis, vt miser is temperet à lacrymis.
Cælo animam, terra liquit sua viscera: mirum est
Hunc tumulum tantum condere posse virum.*

ADVNCTVM TESTAMENTI

ILL. mi D. D. IOANNIS ZAMOSCI,
MAGNI CANCELLARII, & EXERCITIVM generalis Regni Polonia, &c.

Secundùm Deum maximè in terris Sereniff. Re-

Tt § ges